



168

1. J.

2. J.

3. J.

4. J.

5. J.

1683

1. J.

2. J.

3. G.

4. L.

J.



3870  
XVIII  
Dissertatio Juridica<sup>28.</sup>

DE

1682, 4.

LEGE

IRRATIONABILI,

QUAM

Sub

*Moderamine & Ductu*

DN. JOHANNIS

TESMARI,

ANTECESSORIS IN ALMA

CATTORUM,

INSTITVET

JOHANNES CONRADVS

CISIVS,

JEVERANO - FRISIUS.

*Ad diem Martii, H. L. Q.S.*

---

*Marburgi Cattorum,*

Typis JOH. JODOCI KÜRSNERI Acad. Typogr.

ANNO M DC LXXXII.

SERENISSIMÆ  
ET  
CELSISSMÆ  
PRINCIPI AC DOMINÆ  
DOMINÆ  
CHRISTINÆ  
CHARLOTTÆ,  
PRINCIPI FRISIÆ ORIENTALIS,  
NATÆ  
DUCI WIRTEMBERGIÆ,  
AC  
TECCIÆ,  
COMITI MONTISBELGARDI,  
DOMINÆ IN HEIDENHEIMIO,  
ESENSA,  
STEDSDORFIO,  
ET  
WITMUNDO.  
VIDVÆ, TVTRICI, FRISIÆ ORIENTALIS  
RECTRICI GLORIOSISSIMÆ,  
  
PRINCIPI AC DOMINÆ SVÆ  
CLEMENTISSIMÆ.

0128  
SERENISSIMO,  
ET  
CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
CHRISTIANO  
EBERHARDO,  
PRINCIPI FRISIÆ ORIENTALIS,  
DOMINO IN ESENA,  
STEDSDORFIO  
ET  
WITMUNDO.  
REGIMINIS FRISIÆ ORIENTALIS GLORIOSISSIMI  
HÆREDI FELICISSIMO,

IS  
PRINCIPI AC DOMINO SVO  
CLEMENTISSIMO,  
JOHANNES CONRADUS GRIFFIUS  
LEIPZIGIÆ

VITAM PROLIXAM,  
REGIMEN TRANQUILLUM,  
FELICITATEM PERENNEM,  
VOVET, APPRECATUR,  
AC  
INSIMUL  
IN  
FIDEI, OBSEQUII, ET HUMILIMÆ  
SUBJECTIONIS SIGNUM,  
SUI, SUORUMQUE STUDIORUM  
COMMENDATIONEM


DISSERTATIONEM HANC

*SUMMA CUM SUBMISSIONE*

OFFERT,  
DEDICAT,  
CONSECRAT.

Subjectissimus servus

JOHANN. CONRADUS CISIUS,  
JEVERANO FRISIUS.




D. O. M. A.

De

LEGE IRRATIONABILI,

I.



Insipienti leviter inscri-  
 ptionem & titulum presentis hu-  
 jus opusculi, non immerito statim  
 suboriri posset dubitatio, ane per  
 ordinem naturæ lex aliqua detur,  
 quæ ratione careat, adeoque tam  
 insolenti vocabulo exprimi queat.  
 Sive enim auctorem ejus adspiciã,  
 credibile non est, stultum illum, insipidumque fuisse,  
 adeoque rem sui similem produxisse; cum ad ferendas le-  
 ges illi soleant eligi, qui doctrinã, probitate, sapientiã lon-  
 goque rerum usu alios præcedunt. *l. i. ff. de LL. ubi dicitur  
 legem esse commune præceptum, virorum prudentum consub-  
 rum;* non verò homines stupidi & insulsi: sive verò consi-  
 derem illos, quibus lex fertur, prout virtus ejus est impe-  
 rare, *l. 7. d. t.* Ita pati non solemus, ut regamur ab aliquo,  
 ne dicam planè stulto, sed ne quidem ab inferiori nobis di-  
 gnitate & sapientiã, cum nec ipsa pecora tam perditæ &  
 A abjectæ

19  
C  
NC  
TUS,



abjectæ naturæ esse videamus, ut obediant deterioribus, sed sequantur ducem ejusmodi, qui, si non ratione, attamen pulchritudine & robore præ reliquis excellat. *Naturæ est, inquit Seneca Ep. 90. posterioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præ sunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit: elephantorum gregem excelssimus ducit: inter homines, pro summo est optimus.*

II.

**I**Taque, quod Apostolus dicit, se ignoravisse, concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, non concupisces; id mihi quoque dicere quodammodo libet, videlicet me nunquam credidisse, legem aliquam destitutâ ratione inter Christianos, virosq; prudentes reperiri potuisse, nisi ipsa lex 20. l. 39. ff. de LL. id disertè perhibuisset. Dabo itaque operam, ut notum omnibus fiat, quid de hac re sentiendum. Et dum ad hoc me accingo, ante omnia deprecor, ne quis temerariè & præcipitanter de hoc conatu judicet, sed ex salubri Jcti Celsi monitu in l. 24. ff. de LL. tunc demum id agat, quando totam rem fideliter & probè inspexit. *Humanitatis jure postulamus, inquit Lactantius lib. de Justit. c. 1. pr. ut non prius damnet, quam universa cognoverit. Nam si sacrilegis, & proditoribus & veneficis potestas defendendi sui datur; nec prædamnare quemquam incognitâ causâ licet: non injustè petere videmur, ut si quis erit ille, qui incidit in hæc; Si leget, perlegat; Si audiet, sententiam differat in extremum.* Apud Sophoclem lego in Oedib. Colon, vers. 622.

*Ubi me audieris, tunc admone, nunc verò sine.*

Re-



Respondente Thesoro:

Doce; nam nisi re cognita, non decet me dicere.

III.

Coeterum in ipso statim limine ingens legum, interpretumque turba se nobis offert, clamantium uno ore, non dari legem irrationabilem, sed in omni lege rationem dominari, sicut anima in corpore. *Dist. 5. c. 1. l. 7. pr. ff. de bon. damn. l. 17. ff. de LL. Cardinal. Tusc. concl. 31. lit. R.* Cum lex sine ratione nihil aliud sit, quam cadaver sine spiritu, truncus sine radice & succo, instrumentum musicum sine chorda: itaque in examine legis alicujus, non verba illa, quibus profertur, attendenda esse, sed rationem, cui innititur, quaque viget, stat & floret. *l. Imperator 65. §. fin. ff. de R. V. Hartm. Pistor. 2. q. 39. n. 40. Tiraquell. in tr. cessante causa p. 1. n. 138. Rol. à Vall. Cons. 14. n. 24. vol. 3. Barbos. axiom. lib. 16. cap. 5. n. 12. Nicol. Everhardi cons. 8. n. 15. Dec. cons. 70. n. 1. Bald. in c. canonum 1. n. 43. Et causam verborum magis inspiciendam, quam corticem eorum. Wesenb. 2. cons. 53. Bald. lib. 2. cons. 107. Dec. cons. 48. n. 5.* Cum mens, seu ratio legis, sit ipsa lex, non verò verba *d. l. 7. de bon. damn. Panormit. in cap. sicut consuetudo 2. n. 8.* Adeoque legem quærere velle, ubi adest ratio, infirmitas sit intellectus. *Arist. 8. phys. 3. Surd. de alim. tit. 1. q. 28. n. 9.* Cum ratio vivificet, littera verò occidat. *Rovescal. in addit. ad Alex. lib. 2. cons. 20. n. 9. Carpz. lib. 5. Resp. jur. Elect. tit. 8. Resp. 89. n. 15.* eaque essentiam tribuat legi: *DD. in l. sola C. de testib. ita ut cessante eâ, cesset quoque lex. Everhard. in Top. leg. loco 85. Tiraq. in tr. cessante causâ part. 1. n. 11. Bartol. in l. 13. ff. de adopt. l. quod dictum 32. ff. de pact.*

*c. si Christus 26. X. de jurejur. Surd. cons. 375. n. 24.* Ego verò nihil hisce commoveor, quò minùs statuam; dari legem irrationabilem. Sed nolim, ut fides mihi habeatur, nisi id, quod statuo, ante oculos ponam, probemque.

## IV.

**L**Ex ergò irrationabilis primò & ante omnia est illa, quæ nullam habet causam seu rationem, ob quam lata est, sed quæ ex sola superioris libidine & insana voluntate ortum trahit, secundùm tritum illud, quod apud Juvenal. sat. 6. v. 222. legitur

*Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*  
 & effatum Livii 3. 9. quod populus in se jus dederit, eo consulentur: nec ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege habituros. Confer. Appian. de bell. Syr. n. 128. ubi dicitur, *semper æquum esse, quòd à rege præscribitur.* Dicimus ex sola imperantis libidine; nam fieri potest, ut summus princeps pro lubitu quidem ferat legem, nec rationem illi addat: neq; enim adstrictus ad hoc est legislator; *velut divinitus emissa vox sit; jubeat, non disputet,* ait Sen. Ep. 94. prout in sanctionibus regum Galliæ fieri videmus, in quibus omisâ plerumque ratione, subjici solet: *car c'est mon bon plaisir:* unde tamen non sequitur, nullam ibi rationem; cum formula illa magis explicet summam legislatoris potestatem, quam quòd sancire quicquam velit citra rationem. Exemplum legis ejusmodi esto, quando jubentur viri agere muliebria, mulieres autem virilia; prout legem ejusmodi tulisse Ægyptiis fertur Sefostres, teste Sophocle in Oedip. Colon. v. 353.

O quam

O quam omnino illi legibus Ægyptiis  
 Similes facti sunt, ingenio & vivendi modo.  
 Nam illic viri intra tecta  
 Sedent, telam operantes, uxores verò  
 Foris administrant ea, quæ ad vitam pertinent.

Alterum legis irrationabilis exemplum esto, quando in  
 successione regnorum filio regis præfertur natus ex sorore  
 ejus; quo videlicet de sanguine regio eo firmiter constat;  
 quemadmodum tale quid sancitum legimus apud Cale-  
 kutios, referente id à Mandelslo in itinerario suo Indico.

V.

L Egi huic similis est illa, quæ quidem alicui innititur ra-  
 tioni, verum tam debili & ineptæ, ut lucem ferre & pa-  
 ti censuram viri gravis minimè possit; adeoque nullam  
 veriùs, quàm aliquam habere rationem dicatur. Paria enim  
 sunt, non esse, vel non sufficienter esse; sicuti nullum, cum  
 invalido comparari solet. *l. 6. ff. qui Satisd. cog. Argent. conf.*  
*49. n. 7. vol. 1. Barbof. locuplet. lib. 12. c. 28. n. 6.* Plures ejus-  
 modi occurrunt, ex quibus unam & alteram proferam.  
 Esto igitur ex numero harum §. 33. & 34. *I. de rerum divis.*  
 ubi dicitur, literas, licet aureæ sint, perinde chartis, mem-  
 branisq; cedere, ac solo cedunt ea, quæ inædificantur aut  
 inseruntur: contra verò tabulam cedere picturæ, cum ri-  
 diculum sit, picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem  
 vilissimæ tabulæ cedere. Reddo itaq; Triboniano verba  
 sua & dico, magis esse ridiculum, ut vilissimæ chartæ, quæ  
 dum inscribitur, quodammodo perit & consumitur, no-  
 bilis quædam & magni momenti scriptura cedat, quàm ut  
 tabula qualicumque picturæ; cum illa voluptatibus nostris

tantum inserviat, & re verâ nihil aliud est, quàm ludibrium & deceptio; scriptura verò ad salutem & utilitatem generis humani multa conferat, adeoque multò dignior, excellentiorq; est; quàm pictura. Videatur *Hottomannus, Mynsinger, Vinnius ad §. 33. I. d. t. & novissimè Grænovv. de LL. abrogatis ad d. §.*

## VI.

**E**Jusdem ingenii est, quod §. 14. d. t. & l. 3. §. 2. ff. de acq. rer. dom. asseritur, nempe feras tamdiu nostras esse, usq; dum includuntur custodiae nostræ; ubi verò eam evaserint, receperintque se in libertatem naturalem, nostras esse desinere. Quæro enim, quid causæ sit, ut sola feræ fuga eripiat mihi dominium ejus, cum in servo, quod tamen longè favorabilius foret, id contra accidere videamus? *l. 13. pr. ff. de acquir. poss. t. C. de servis fugitivis. Althus. diceolog. lib. 2. c. 13. n. 15.* An quia vix inter se dignoscuntur feræ, adeoque una pro altera recipi facilè posset? Hanc enim rationem afferri plerumque audio. Atqui tolli hæc difficultas potest, & stigmatè, aliâque notâ sic insigniri, ut facilè cognoscantur. Quare ita sentio, manere me adhuc dominum, licèt fera se vindicaverit in naturalem libertatem, retinereque potestatem vindicandi eam, si velim; prout illud in accipitre & falcone observari videmus, quæ aves, licèt se recipiant in libertatem, redduntur quotidie dominis suis. *Grot. de Jure belli & pac. lib. 2. c. 8. §. 3. Puffend. de I. N. lib. 4. c. 6. §. 12. Grænovv. ad §. 15. I. de rer. divis. Vinnius ad d. §. fin.*

## VII.

**Q**uin refero in ordinem hunc tritam, famosamque illam regulam, quâ vetamur alteri stipulari, cum stipulationes ideò dicantur inventæ, ut, quis sibi, non alteri acquirat.

quirat. §. 18. I. de inutil. stipul. l. 38. §. 17. ff. de Verb. Obl. Quid enim aliud suadet illa lex, quam ut ex utraque proximi charitate, nostra tantum quæramus commoda, & quidem contra legem Dei I. Cor. 13. 4. *Charitas iram cohibet, benigna est charitas, non invidet charitas, non agit perperam, non inflatur: Non agit indecore, non quarit quæ sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum.* Imò contra ipsam juris Romani auctoritatem, quæ passim inculcat, hominem beneficio afficere, hominis interesse. l. 7. ff. de servis Exportandis. Cum homines, quotquot sunt, cognati & consanguinei inter se sint. l. 3. ff. de l. & I. Quare rectè & ordine moribus nostris alter alteri stipulatur, etiam citra illud singulare interesse, quod olim habere quis debebat, oriturque ex tali stipulatione valida actio. *Mev. part. 4. D. 112. n. 5. Cothm. vol. 2. Resp. 54. n. 87. Brunm. ad l. 26. ff. de pact. Covarr. in c. quamvis part. 2. §. 4. n. 2. Gutier pract. quest. lib. 3. q. 97. Fab. c. lib. 4. tit. 34. D. I. Gabriel. lib. 3. de verb. obl. concl. 1.*

VIII.

**N**ON verebor ad hunc quoque locum referre leges illas, quæ vetant mulierem esse testem in solenni testamento. §. 6. I. de testam. ordin. atqui. Nam in criminalibus & ubi agitur de sanguine & omnibus bonis nostris admittitur foemina in testimonium. l. 18. ff. de testib. & hoc moribus observari, docet quotidiana experientia, & inter DD. *Farinac. quest. 59. n. 64. & Brunm. in l. ex eo ff. de testit.* Ecquid ergo rei est, quare mulieres non æquè ac viri testimonium perhibeant veritati, quoad testamenta; præsertim hoc nostro tempore, quò testamenta non in Campo Martio, sed plerumque in conclavi solent fieri? Videmus itaq; in codicillis, donationibus mortis causâ, aliisque minus solennibus

Solennibus testamentis eas admitti. *Farinac. de testib. quest. 59. n. 67. Schneidev. ad §. 6. I de t. testam. ordin. Gloss. in l. ult. C. de codicill. Carpz. part. 3. Const. 1. D. 30. Grænovv. ad d. §. 6.*

## IX.

**P**ONO amplius in ordine legum irrationabilium & hoc, quod iustum est per errorem & imprudentiam. Arduum quidem, imò periculosum est, hoc pacto in censuram vocare legislatorem; cum ipse præsumptionem pro se habeat, quòd nihil decernat, quod rationi & pietati non sit consentaneum: Tacit. Ann. 6. 8. *Abditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere in licitum, anceps; nec ideo adsequare.* Attamen cum hîc non tam disputetur de auctoritate legislatoris, quàm de legibus à Romanis & gentilibus magna ex parte latis, quatenus illæ liberæ & Christianæ reipubl. inservire possint & ab illa recipi. *Brunnem. 11. de orig. jur. quest. 8.* non putem hoc pacto superioris cujusdam auctoritatem vocari in dubium, quin relinquipotius Christianis potestatem liberè & Christianè judicandi de eo, quod sequi & credere debent. Non adducam in exemplum nobiles illas leges, nempe *l. 39. ff. de LL. l. 3. fin. ff. de suppell. leg. l. 3. ff. de off. prat.* quippe de errore circa factum commisso illæ loquuntur, non circa rationem, qua compulsi sunt ad legum ejusmodi promulgationem. Dico ergò, ex errore legem fieri irrationabilem quando lator ejus sibi quid verum esse persuadet, adeoque legem de eo fert; cum tamen falsum illud omninò sit. plura ejusmodi occurrunt. Sic falsum est, Germaniam in provinciæ formam redactam fuisse unquam, prout putabat Macer in *l. 3. ff. de off. ad sess.* adeoque & irrationabilis fit lex, quæ jubet ex Germania recipere appellationes. l. 48.

*l. 48. ff. de condit. & demonstr.* Appellationes enim recipere, non est nisi domini & superioris, *Gothofr. ad d. l. 48.* Jam verò hoc, temporibus veterum Imperatorum, de Imperatoribus R. respectu Germaniæ dici non potest, sed mansit illa libera, suique juris, si non tota, saltem maxima ex parte. *Flor. 4. C. 12. n. 21.* Germaniam quoque utinam vincere tanti non putasset: magis turpiter amissa est, quam gloriose acquisita: sed quatenus sciebat patrem suum Casarem, bis trajecto ponte Reno, quæsisse bellum, in illius honorem concupiit facere provinciam. Et factum erat, si barbari tam vitia nostra, quam imperia, ferre potuissent. Videatur *Wissenb. ad tit. ff. de off. adfess. in fin.*

## X.

**E**Rronæ etiam sunt leges illæ, quotquot inculcant, (si modò leges ejusmodi dentur & non potius opinio sit privati unius aut alterius Doctoris) famam cum vita pari passu incedere, imò famam vitæ præferendam. Allegari autem solent in hanc sententiam *l. 9. ff. de manumiss. vind. l. 7. §. 1. ff. quod met. caus. l. 4. C. de malef. & mathem. l. 9. ff. de fideicom. libert. l. 26. ff. si quis omiss. caus.* Cæterum duplici ex capite mihi irrationabilis videtur hæc sententia; semel quod contemnere & parvi facere videatur vitam, rem omnium maximam inter corporalia bona, cum sine illa nullis aliis donis divinis frui liceat. *Vitâ nihil est pretiosius*, inquit Euripides in *Alceste* vers. 309. Confer. *Iob. 1. fin. & Paulum Zachiam quest. medico-legal. lib. 1. tit. 2. q. 9.* Iterum, quod instiget hominem ad ulciscendum, vindicandumque id, quod in contemptum, opprobriumque ejus dictum, factumve videri posset; fieri autem id nullo modo, præsertim à lege, debet, cum jam alias per se satis acres

B

simus

simus, sensibilesque ad injurias nostras. Quare rectè omninò dicitur, quotiens jura famam & vitam in pari æstimatione ponunt, id fieri per intensionem quoad famam; alias famam infra vitam multum jacere. *l. 385. §. 9. ff. ad L. Jul. de adult. Barbof. lib. 6. c. 8. sub fin.*

XI.

Subjungo hisce leges, quæ quidem per rationem aliquã latae sunt, sed quæ nobis obscura, imò ignota planè est. Idem enim est, non esse & non apparere. *l. 16. §. 3. l. 30. ff. de testam. tutel. Barbof. lib. 1. C. 71. n. 1.* scio sic explicari *l. 20. ff. de L. L. Non omnium, quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi potest.* videlicet aliud esse non dari posse rationem, & nullam planè adesse. *Lancellottus Politus in l. filium C. fam. mil. ercisc.* & contingere hoc potissimùm quoties de merè positivis & arbitrariis lex fertur. *Br. ad d. l. 20.* Sed cuinam viro cordato hoc sufficiet? In divinis quidem rebus suspendere sæpe cogimur judicium nostrum & captivam dare rationem; attamen ut idem fiat in rebus humanis, hoc quid est ejusmodi, quod persuaderi mihi non patior. Hinc minimè fidem habeo *Neratio in l. 21. ff. de LL. Et ideò rationes eorum, quæ constituuntur, inquire non oportet: alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subvertuntur.* Sed assentior potius *Sozomeni lib. 1. Hist. Eccles. 16. Opiniones veterum, nullo judicio exploratas, sequendas minimè esse.* & *Augustino in prologo lib. 3. de Trinit. quod relatum videmus in dist. 9. C. 3. Noli meis literis, quasi canonicis scripturis, inservire. Sed in illis, quòd non credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in istis autem, quòd certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.* & *C. 4. Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio,*



cio, & nulla temeritate damnari. Equidem rectè in hanc sententiam Lactant. 2.6. *Ha sunt religiones, quas sibi à majoribus suis traditas, pertinacissimè tueri, ac defendere perseverant: nec considerant quales sint, sed ex hoc probatas, atque veras esse confidunt, quod eas veteres tradiderunt: tantaq; est auctoritas vetustatis, ut inquirere in eam, scelus esse ducatur. Itaque creditur ei passim, tanquam cognita veritati. Et lib. de justitia c. 19. Quid aliud dicam quam miseros, qui prae donum suorum instigationibus parent, quos Deos esse opinantur? quorum neque conditionem, neque originem, neque nomina, neque rationem sciunt; sed inhaerentes persuasioni vulgari, libenter errant, & stultitia sua favent. A quibus si persuasionis ejus rationem requiras, nullam possunt reddere, sed ad majorum judicia confugivnt, quod illi sapientes fuerint, illi probaverint, illi scierint, quid esset optimum: seq; ipsos sensibus spoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. Sic implicitè rerum omnium ignorantia, nec se, nec Deos suos norunt. Et Quintil. D. 261. Primum incusamus legem non satis significanter scriptam, & multa obscura in se habentem. Nam hoc non satis distinxit, utrumne patrimonia nunc demum equari oporteat, an quoties aliquod eminebit: an si verè remedium id solum pro Republica est, perpetuum esse debeat: & idèo lex repudianda, quia hoc non satis dispexit. Exemplum si quis velit, dabo omnibus notum; videlicet quod præcisè jubeamur septem testes masculos, rogatosque adhibere in solemni testamento: qui enim instituti hujus firmam, solidamque rationem dare volet, [nam qua afferri solent de sanctitate & reverentia numeri septenarii, puerilia sunt & ridicula, adeoque viro cordato indigna] is experiendo discat, quam difficile illud sit, quamvis non dubitem veteres aliquam habuisse. Dicunt quidem, hosce septem*

testes repræsentare populum Romanum, emptoremque  
 familiæ cum libripende; quippe populus ille quinque clas-  
 sibus constabat, teste *Livio lib. 3.* dicente, decem tribunos  
 fuisse creatos, binos ex singulis classibus. Sed quid hoc ad  
 nos, nostramque Rempublicam? Itaque à Leone *N. 41.*  
 admittuntur quinque, apud multos duo sufficiunt. Non  
 ingratum erit, si in hanc sententiam adscribam, quod lego  
 apud Busbequium *legat. Turc. Epist. 3. p. m. 160.* Fuit Gra-  
 corum institutum, ut non nisi sexto die Augusti festo transfigu-  
 rationis Domini specus recluderetur, unde in Lemno terra,  
 quam ægos sphragida vocabant, hauritur. Idem institutum  
 hodieq; servant Turcæ & ut olim sacerdos Græcus liturgiam  
 ibi celebrabat, sic & hodie illam celebrari volunt, ipsi quidem  
 sacrorum ex longinquo tantum spectatores. Quod si quis ro-  
 get, cur tamen ita faciant, respondent, multa ex stare antiqui-  
 tatis instituta, quorum utilitatem diuturnus usus comprobavit,  
 cause ignorentur. Plusquam se scivisse & vidisse veteres,  
 non esse convellenda eorum placita, malte ea servare, quam cum  
 suo damno quidquam mutare.

XII.

Imprimis verò refero ad leges irrationabiles, quæ injustæ  
 sunt & impiæ, adeoq; servari ab homine Christiano sal-  
 vâ pietate & illasâ conscientia non possunt: Lex enim non  
 debet nutrire & fovere peccatum, *l. 3. C. de summa Trinit.*  
 sed debet esse sanctio sancta, jubens honesta & prohibens  
 contraria, *l. 2. ff. de LL.* Itaque Augustinus *Ep. 50.* Bonifa-  
 cio inscripta, cujus partem relatam videmus in *Dist. 9.*  
*Can. 1.* Imperatores, quando pro falsitate contra veritatem  
 constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coro-  
 nantur perseverantes: quando autem pro veritate contra fal-  
 sitatem

fitatem constituunt bonas leges; terrentur scævientes, & corriguntur intelligentes. Quicumq; ergò legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Quicumq; verò legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande premium. Et Dist. 10. c. 4. Constitutiones contra canones, vel bonos mores, nullius sunt momenti.

XIII.

Sed ane dantur ejusmodi leges, inquis, cum credibile non sit, legislatorem, virum bonum & prudentem, tantoperè aberrare voluisse aut potuisse à justitia & pietate, ut quid impii civibus suis injungeret? Non opinor equidem directè & per se factum id à legislatore, cum id pugnet cum ipsa natura humana, & qualitate legum, prodesse volentium, non verò obesse generi humano; nec ansam dare ad peccandum, sed abstrahere potius à peccatis & vitiis: Interim tamen negari nequit, quin in legibus humanis sæpè quid occurrat, quod non usq; adeò honestum & laudabile est. Exemplo igitur sit primò & ante omnia lex illa Laconum, de expellendis urbe peregrinis, apud *Ælian. var. 13. 16. in fin.* Et illa Lydorum, quâ mulieres, antequàm cum maritis concumberent, corpus prostituere poterant, apud eundem *var. 4. 1.* Et illa Rasbutorum, Indicæ gentis, quâ uxor, defuncto marito, in rogam se mittere, & comburere jubetur, apud *Mandeslov in itinere suo Indico.* Sed ne apud Barbaros tantùm leges ejusmodi quæsi- visse videamur, prodeant quoque aliæ gentes. Impia igitur & illa lex est, quam promulgat Nabuchodonosor *Dan. 3. cap.* de adorando idolo? Prout illa quoque parum est Christiana, quæ vult adulterum, in adulterio deprehensum, impunè

B 3

impunè

impunè occidi, l. 4. C. de adult. collata cum caus. 33. quest. 2. C. 6. Et illis, quæ allegat Abb. in C. cum esses X. de testam. Colleg. Argent. ad L. Jul. ff. de adult. th. 16. n. 16. & Barbos. lib. 10. cap. 10. n. 6. in fin. Præterea impiam existimo legem esse, quæ jubet servos sub eodem tecto cum domino degentes, innocentesque, jugulare simul cum præsentibus, qui in necem domini conspiraverant. Tac. Ann. 14. C. 42. Veteri ex more familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oportebat, nempe interfecto domino. Vide l. 1. pr. ff. ad S. C. Silanianum. Et ne dubites de iniquitate legis hujus, audi Senatorem R. apud Tacitum d. lib. C. 44. At quidam insontes peribunt! Num & ex fuso exercitu, cum decimus quisq; justè feritur, etiam strenui non sortiuntur? Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos, utilitate publicâ rependitur. Eiusdem naturæ est illud apud Calp. Flacc. D. 1. Quinque cum tyranno proximè familiæ puniantur. Nec non lex illa Macedonum, apud Curtium lib. 6. C. 11. quâ propinquorum, qui Regi insidiati erant, cum ipsis necari jubentur & quoties alius pro alio punitur; cum quisque ob suâ, non verò ob alterius culpam pati debeat. Nihil iniquius est, inquit Seneca 2. de ira 34. quam aliquem heredem paterni odii fieri. & Euripid. Med. vers. 116.

Quid verò tibi filii patris peccata  
Participant? cur hos odisti?

Videatur tit. C. ne fil. pro patre, 2. chron. 25. 4. & 2. Reg. 14. 6. l. 8. §. 2. ff. de in jus Voc. Talis quoque est Lex illa Voconia, de qua sic loquitur Augustinus de civit. Dei 3. c. 21. Lata est Lex illa Voconia, ne quis heredem fæminam faceret, nec unicam filiam. Qua lege quid iniquius dici aut cogitari possit, non

non video. Quemadmodum & illa, ut creditoribus dividere liceat corpus debitoris, apud Quintil. Inst. 3. 6. Sunt quaedam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in XII. tab. debitoris corpus inter creditores dividi licuit. Sic iniquissima omnium seu consuetudo, seu lex illa est, quæ jubet bona naufragorum redigere in Fiscum, sicuti talis olim & fortè adhuc dum in Gallis exstat, si fides habenda est Bodino 1. de republ. sub fin. p. m 267. Barbarum id quidem, & antiquis inusitatum, ut cujus opes ac fortuna naufragio miserè perierint & quem nostris opibus sublevare debeamus; ejus reliquias, quas ad litus ejectas bona fide restitui oportebat, turpiter diripi patiamur. Sic tamen vivitur, ut qui portus habent, eam crudelitatem tum in cives, tum in peregrinos exsequantur. Ius quæris? error jus facit: at si non peccatur errore, sed scientiâ, scelus est, quod erroris specie præ tenditur. Cum enim legatus Caesaris coram Henrico II. Francorum rege, questus esset, duas naves ad litus ejectas, & ab Iordano Ursiuo captas esse, easq; restitui postularet; Annas Mommorantius, Magister equitum, respondit, ea, quæ ad litus fuissent ejecta, gentium omnium jure ad Principes, qui litoribus imperarent, pertinere. Ita jus invaluit, ut ne Andreas quidem Doria questus sit de navibus in littus Celticum ejectis & à præfecto classis Gallie direptis. A quo non abit Gramondus Hist. lib. 19. ad ann. 1627. Erant, qui ad regem in crementa ejusmodi spectare affirmarent, ad quem unum marium regni sui dominia pertinent. Multò rectiùs igitur Constantinus in l. 1. C. de naufrag. Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat, fiscus meus sese non interponat. Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur? Et Fridericus in authent: navigia C. de furtis, Navigia quocumq; locorum pervenerint,

st. 2.  
tam.  
lib.  
gem  
aino  
nti-  
n. 14.  
tecto  
rfe-  
ubi-  
Ta-  
n &  
stre-  
num  
itur.  
ing  
illa  
nqui  
pen-  
luã,  
uius  
erni

4. 6.  
nia,  
Lata  
nec  
ssit,  
non

venerint, si quo casu contingente rupta fuerint, vel aliàs ad terram pervenerint; tam ipsa navigia, quam navigantium bona illis integrare servantur, ad quos spectabant, antequam navigia hujusmodi periculum incurrissent: sublata penitus omnium locorum consuetudine, quæ huic ad versatur sanctioni; nisi talia sint navigia, quæ piraticam exercent pravitatem, aut sint nobis sive Christiano nomini inimica. Transgressores autem hujus nostræ constitutionis, bonorum suorum publicatione mulcentur: & si res exegerit, eorum audacia juxta mandatum nostrum modis aliis compestatur. Quare passim inculcant Doctores, legem seu consuetudinem hanc impiam esse, & irrationabilem, quam sequi nemo salvâ & illæsâ conscientiam potest. Robuff. in præfat. ad LL. regias gl. s. n. 74. Covar. in c. peccatum lib. 6. part. 3. §. 1. Gail. 1. obs. 18. Brunnem. ad auth. navigia C. de furt. Grot. de I. B. & P. lib. 2. C. 7. pr. Christian. Decis. Belg. vol. 5. D. 64. Autumn. in d. auth. navigia. Nisi fortè accedat nova causa, puto si res naufragio perditæ, habeantur pro derelicto; quod tunc creditur, quando intra præfinitum à lege tempus [quod apud Batavos est annus & sex hebdomadæ] nemo mittitur, qui quærat, qui investiget eas, petatque restitutionem earum veteri domino, Grot. introduct. l. 2. part. 4. n. 33. Vinn. ad §. ult. I. de rer. divis. Grænovv. ad tit. C. de naufragiis.

XIV.

Ad præterea leges, quarum ratio si excutiat, supersticiosa est & parum conveniens menti & sententiæ sacrarum literarum. Non exspatiabor hîc prolixè in canones, posterioribus temporibus per Pontifices Romanos latis; quippe plurima ibi occurrerent hujus naturæ & indolis; sed præcipuè me includam terminis  
 juris

juris civilis. Dico ergò superstitiosum esse & profanum templis, arisque sic concedere jus asylorum, ut ferè quilibet sceleratus confugere huc & latitare impunè possit, quemadmodum id fieri videmus in terris Ecclesiæ Romanæ. Videatur *C. inter alia 6. X. de immunit. Eccles.* ubi sic sancitur: *Tuis questionibus respondentes, juxta sacrorum statuta canonum, & traditiones legum civilium, ita duximus distinguendum, quòd fugiens ad Ecclesiam, aut liber, aut servus existit. Si liber, quantumcunq; gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam, sed rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam. Super hoc tamen, quod iniquè fecit, est alias legitimè puniendus, & hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum.* Rectius Imperator N. 17. C. 7. neque homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus, terminorum custodias cautelam, sed etiam inde extrahes & supplicium eis inferes. V. *Bodin. 1. de Republ. Christin. vol. 2. D. 46. Rittershus. de asyl. c. 4. Brunnem. ad l. 2. C. de his qui ad Eccles.*

XV.

Superstitiosa porrò sunt, quæ sancita legimus de reliquiis sanctorum & martyrum, *l. 2. l. 3. C. de SS. Eccl. l. 26. C. de Episc. & Cleric.* de prærogativa Ecclesiæ seu Constantinopolitanæ, seu Romanæ, *l. 24. C. eod. l. 8. C. de summa Trinit.* de non ducenda virgine, monasterium ingressa, sub capitis pœna. *l. 5. C. de Episcop. & Cleric.* de non gravando Episcopo per juramentum, quoties testimonium veritati reddere debet, *l. 7. C. d. t.* quasi videlicet Episcopus minus  

G

posset

cer-  
ona  
vi-  
niū  
alia  
no-  
tem  
mul-  
no-  
Do-  
& ir-  
cien-  
var.  
n. ad  
Chri-  
Nisi  
e, ha-  
intra  
nus &  
vesti-  
mino,  
er. di-

Super-  
tiæ fa-  
xè in  
tifices  
hujus  
rminis  
juris



posset mentiri, quàm Laicus, dignitasque clericalis ex-  
 solvetet à nexu juris naturæ & divini, quod neminem à  
 jurandi necessitate simpliciter eximit. Imò valdè super-  
 stitiosum mihi videtur, quod sancitur de legatis Archang-  
 gelis, martyribusque præstandis, l. 26. §. 1. C. de SS. Eccles. De  
 juramenti formula per sanctam gloriosam Dei genetri-  
 cem & semper virginem Mariam, & per sanctos Archan-  
 gelos Michaëlem & Gabrielem. N. 8. de magia innoxia, in-  
 cantationibus, processionibus, similibusque superstitiosis re-  
 mediis, quibus depelli mala, & procurari salutem posse  
 credi vult. l. 4. C. de malef. & mathem. *Eorum est scien-  
 tia punienda, & severissimis meritò legibus vindicanda, qui  
 magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti,  
 aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur. Nullis  
 verò criminationibus implicanda sunt remedia humanis qua-  
 sita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suf-  
 fragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ven-  
 tis, grandinisq; lapidatione quaterentur: quibus non cuius-  
 quam salus aut aestimatio laderetur, sed quorum proficerent  
 actus, ne divina munera & labores hominum sternerentur. ut  
 mirum profectò sit, à Constantino tam profanam sanciri  
 legem potuisse; nisi fortè dicas, latam eam fuisse antequam  
 fuerat conversus ad fidem Christianam. Vid. Heig. part. 4.  
 quest. 49. Cujac. lib. 27. obs. 17. Sand. decis. Fris. lib. 5. t. 9. d. 13.  
 Sanè omni laude & deprædicatione mihi dignissimus vi-  
 detur Leo Imperator, dum superstitiosa ejusmodi damnat  
 N. 65. & quidem hisce verbis: *Istiusmodi incantationes per-  
 niciosas esse, persuasum habemus: & ut boni quicquam inde ma-  
 nare credamus, induci non possumus. Ac sanè, etiam si boni  
 quippiam producere illas appareat (quomodo quidem approban-  
 ti ipsas legi videtur) non id bonū esse, sed illecebram atq; nascā,*  
 qua*



que illectos in malorum omnium extremum absorbeat. Igitur  
 dū hoc scribo, in mentem venit, optimas sæpe leges ab Im-  
 ratore hoc Leone sancitas, at negligi illas, præferrique Ju-  
 stinianeas quascunque, citra omnem rationem; cum ta-  
 men nec ille, nec hic ullam in Germanos legislatoriam  
 habuerit potestatem, sed utriusque sancita eatenus reci-  
 piantur, quatenus pietati, rationi, bonisque moribus  
 conveniant.

XVI

**N**ollem in hoc quoque numero esset, quod sancitur in  
*auth. ingressi C. de SS. Eccles.* videlicet monasterium in-  
 gressos, se, suaque Deo dedicare, adeoque testamentum  
 facere prohiberi, aut reliquere quicquam per ultimam  
 voluntatem. Notum enim est, quid protestantes de mo-  
 nasteriis, vitaq; monastica sentiant, videlicet loca illa ne-  
 quaquam Deo consecrata, sed vix quicquam aliud esse,  
 quam receptacula hominum otiosorum, spontè in si-  
 mulatam paupertatem se vel temporalis commodi  
 causa intrudentium, adeoque ex sudore & sanguine  
 superstitionum mentium plerumque viventium, in  
 manifestam civitatum, in quas irrepunt, ruinam:  
 ut mirum omninò sit, decidi nonnunquã secundum hanc  
 legem inter protestantes quoque & illos, qui excusso Pa-  
 pali jugo, destructisque Cœnobiis puriorem amplectun-  
 tur doctrinam. *V. Carpz. part. 3. cost. 28. D. 3. n. 6. Græwv. ad  
 d. aueb. Perez ad tit. C. de S. S. Eccles. n. 19. Fab. d. t. d. 44.*

XVII

**I**rrationabilis porrò lex est, quæ non inservit salutis rei-  
 publ. sed eam, quantum in se est, evertit & destruit. Di-

coreipubl. salutem; nam si uni vel alteri ex civibus forte  
 obest, illud parum curatur, modo in commune proficit. Nulla  
 lex satis commoda omnibus est, inquit Cato apud Liv. 34. 3.  
 id modo queritur, si majori parti & in summam prodest. Si  
 quod cuiquam privatim officiat jus, id destruet ac demolietur.  
 In numero legum harum, contra salutem reipubl. lata-  
 rum, ponere non dubito leges illas Aelias Sentias, Fusias  
 Caninias, aliasque, quibus temere libertas, civitasque da-  
 batur mancipiis, adeoque Roma, gentium domina, sceler-  
 ratis, nefariisque replebatur civibus. Testis est Diony-  
 sius Halicarnassæus, qui paulo ante latonem legum harum  
 vixit: scio sane, inquit, nonnullas libertatem univ. se fa-  
 milia sua post mortem legasse, ut mortui liberalitatis & humani-  
 tatis laudem adipiscerentur, & lectos in quibus mortui defer-  
 rentur, magna pileatorum turba sequeretur. Quibus in fu-  
 nerum pompis nonnulli erant, qui paucis ante diebus carceri  
 emissi fuerant, scelerati, sexcentas mortes commeriti. Ejus-  
 modi nefarios pileos in civitate videntes multi, discruciantur  
 atq; hanc consuetudinem vehementer damnant, quasi civitate  
 rerum dominam, terrarumq; imperium sibi vindicante, indignum  
 sit, ejusmodi cives facere. Hinc ergo illud, nullam legem  
 intelligendam, interpretandamq; esse in perniciem rei-  
 publ. Nepos in Epamin. C. 7. Lex erat Thebis, quæ morte  
 multabat, si quis imperium diutius retinisset, quam lege præ-  
 scriptum foret. Hanc Epaminondas cum reipubl. conservanda  
 causâ latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit; &  
 quatuor mensibus diutius, quam populus jussisset, gessit impe-  
 rium. Eadem videre liceat apud Appianum de bellis Syriacis  
 n. 114. Hinc & illud, omnes leges formandas ex usu & ra-  
 tione civitatis. Plato de republ. l. p. m. 338. Vnumquodq;  
 imperium leges ponit, prout sibi maxime conducit: nimirum  
 popu-

popularis administrationis ratio, populares: tyrannis sive regia, tyrannicas sive regias: & cetera eodem modo. Vbi autem eas leges posuerunt, perspicue declarant, illud esse subjectis justum, quod tamen ita factum erat, ut sibi conduceret. Adeoque si dubii quid contineant, secundum hanc normam dirigendas. Gellus noct. Attic. 20. c. 1. Non ignoras legum opportunitates & medelas pro temporum moribus & rerum publ. generibus, ac pro utilitatum presentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, feruoribus mutari atque flecti; neque uno statu consistere, quin, ut facies cæli & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus varientur.

## XVIII.

Itaque è contrario non est irrationabilis, quando inferuit usui publico, licet intellectum, captumque multorum sæpè supergrediatur. Exemplo sit l. 29. C. de adulteriis. Quæ adulterium commisit, utrum domina caupona, an ministra fuerit, requiri debet, & ita obsequio famulata seruit, ut plerumque ipsa intemperantia vina præbuerit: ut si domina tabernæ fuerit, non sit, à vinculis juris excepta. Si verò potantibus ministerium præbuerit: pro vilitate, ejus quæ in reatum deducitur, accusatione exclusa, liberi qui acciſantur, abscedant: Hæ autem immunes à judiciaria severitate & stupri & adulterii præstentur, quas vita vilitas dignas legum obseruatione non credidit. Adde hisce leges de usucapione & præscriptione latas, quæ licet damnentur ab Ames. de consc. lib. 5. C. 41. n. 19. utiles tamen valde & necessariae sunt reipubl. adeoque merito naturam bonarum legum induunt. Quod permagni interest, inquit Cicero, de part. orat. 24. pro necessario sæpè habetur.

C 3

XIX.



**S**equitur lex, quæ impossibile quid imperat, sive moraliter, de quo actum, sive quocunque alio modo: eam enim irrationabilem quoq; esse, sanè opinor; cum omnes humanæ leges ferendæ sint, sub modo virium nostrarum, adeoque si eum negligunt, non humanæ erunt leges, sed inhumanæ, imò nullæ. *Grot. de jure. B. & P. lib. I. c. 4. § 7.* Pro exemplo esto illud, quod lego apud Quintil. D. 261. de æquandis omnium patrimoniis. *Si hac vis est legis istius, ut sit de æqualitate patrimoniorum: idem census omnibus datur: omnes penè dies, omnia tempora necesse erit in hac partitione consumi, si quis frugalis vixerit, si quis luxuriosus vixerit. Est præterea contra leges omnes scripta hac lex. Quippe nullum jus non ita compositum est, ut suum quisq; habeat, & alieno abstineat. Sed ne servari quidem potest. Quid enim futurum est? Prætereo illud, quod aliqui negociabuntur, aliqui frugaliter vivent? Quæ ratio testamentorum? cum is qui creverit hereditatem, continuo non plus sit habiturus, quam ceteri & divisurus cum his, qui non eundem honorem supremis defuncti tabulis habuerunt? Hinc ergò illud, quòd impossibile nulla sit obligatio. *l. si quis in gravi 3. in pr. ff. ad S. C. Syllan. l. 35. ff. de Verb. obl. l. Paulus. 3. ff. quæ sentent. sine appell. l. 185. ff. de R. I.* quam regulam in legibus, præceptisq; locum etiam habere testatur *Surdus D. 289. n. 21. & Tusc. concl. 54. lit. I.* quare quod est impossibile, inculcari non debet. *Lact. 3. 27.* Cur omnino præcepta sapientie dantur; si nemo, qui sapiat, adhuc inventus est? Egregiè Xenophon *Inst. Cyri 5. pr.* At verò si lex promulgaretur, ut qui non comedunt, non esuriant: & qui non bibunt, non sitiant: utq; nec hyeme algeant, nec æstate caleant: in his ut homines parerent,*

lex

lex, nulla posset efficere. Sunt enim à natura sic comparati  
ut his sint inferiores. Videatur Gen.24.8. Num.30. N.6.  
C.I.§.8. Liv.2.31. Curt 9.3. Barbof. locuplet. lib.9. c. 20.  
n. 12.

XX.

Imò nec separare ab hoc ordine possum leges, quæ nullã  
afferunt civibus utilitatem, prout de lege, quã cavetur ex  
æquatio patrimoniorum, dixit Quintil.D.261. His adjiciamus,  
quod etiam inutilis est, duabus prætereà causis. Nam & frugalitatem  
eorum, qui servaturi sunt, imminuet, & luxuria horum, qui  
consumpturi sunt, prospiciet. Cur enim quisquam servet, tam  
perditurus aliena luxuria, quàm sua? Cur enim non quisquam  
abutatur? Enimverò hominis non est prudentis, injungere alicui  
ut frustra & in nullius utilitatem effundat sanguinem & sudorem;  
quanto minùs igitur regis, ejusmodi quid velle sancire? Obtinere  
id videmus in legibus, ob certam quandam rationem latis & duran-  
tibus adhuc, postquam ratio illa jam cessat. Videatur auth. Ingressi  
cum l.13. generaliter C. de SS. Eccles. Everhard. top. à cessat. rat. 3.  
Grænovv. ad præm. Inst. n. 7. Egregiè Livius 34. c. 6. Quemadmodum  
ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetua utilitatis  
causã in æternum latae sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi  
quam aut usus coarguit, aut status aliquis reipublica inutilem fecit:  
sic, quas tempora aliqua desiderarunt leges mortales [ut ita dicam] &  
temporibus ipsis mutabiles esse video, quæ in pace latae sunt,  
plerumq; bellum abrogat: quæ in bello, pax: ut in navis  
administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate  
usui sunt. Et Demosthenes Olynth.3. Legumlatores constituite:  
per eos autem legumlatores

latores nullam sancite legem (sunt enim vobis satis multe) sed eas, quæ vos in presentia ledunt, abrogate. Istas autē dico, & non dissimulanter dico, quæ sunt de theatri, pecunia, & de bellica re quasdam: quarum illa pecuniam militarem iis, qui domi manent, ad spectacula distribuunt: hæ desertores & emansores indemnes constituunt: Sic etiam iis qui officio fungi volunt, desperationem injiciunt. Postquam verò hæc sustuleritis, & viam optima consulendi tutam præbueritis: tum quicquid scribat, quæ omnes à republica esse scitis, queritote.

XXI.

**N**escio an addere hisce liceat legem, quæ rationabilis quidem & utilis est, attamen ita, ut ab alia magis rationabili & utili obfuscetur & minuatur. Equidem non rarò id occurrit, & ubi occurrit, existimo minus cedere majori, magisque rationabile annullare debere id, quod est debilius. Quintil. D. 274. In legum comparatione multa queri possunt, sed variè in quaq; controversia. Interim queri solet, an privata altera, altera publica sit: & utrum militaris altera, altera pertinens ad civilia officia. Si omnia ferè cætera paria sunt, utra utilior & magis necessaria civitati sit, querendum est. Et D. 249. queritur utrum æquius sit? Facit Triphonius in l. 31. ff. depositi. Bona fides, quæ in contractibus exigitur, æquitatem summam desiderat: sed eam utrum æstimamus ad merum jus gentium, an verò cum præceptis civilibus & prætoriiis? veluti reus capitalis judicii deposuit apud te centum, is deportatus est, bona ejus publicata sunt, utrumne ipsi hæc reddenda, an in publicum deferenda sint? si tantum naturale & gentium jus intuemur: ei, qui dedit, restituenda sunt. Si civile jus, & legum ordinem, magis in publicum defe-

deferenda sunt. Nam male meritis publicè, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet.

XXII.

Quæris ergo, quid sibi illa velint? Dicam breviter, videlicet prudentis & recti judicis esse, nullam sequi humanam legem, nisi eâ examinata, probèque inspectâ; cum aliàs vel desciscere facilè à ratione humana, & brutorum instar ferri possit; vel offendere Deum O.M. Pono enim iniquum esse & abominabile, quod jubet lex: Sanè nunquam obtemperabit, sed ferrum, ignes, & quicquid est tormentorum potiùs subibit, quàm ut offendant Deum, maculetque conscientiam. *Lege Imperatorum*, dicitur in *Dist. 10. c. 1. non in omnibus Ecclesiasticis controversiis utendū est; præsertim cum inveniuntur Evangelica & Canonica sanctioni contraria.* Et August. *Ep. 50. seu Dist. 9. c. 1. Temporibus Prophetarum omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt nec everterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur, & qui prohibuerunt, & everterunt, super aliorū merita laudantur.* Et *Rex Nabuchodonosor, cum servus esset idolorum, constituit sacrilegā legem, ut simulacrū adoraretur, sed ejus impia constitutioni, qui obedire noluerūt, piè fideliterq; fecerunt.* Hinc *Alfenus in l. 20. ff. de Obl. & Act. Servus non in omnibus rebus sine pœna domino dicto audiēs esse solet. Sicuti si dominus hominem occidere, aut furtum alicui facere servū jussisset.* Quippe Deo potiùs obediendum est, quàm hominibus. *Act. 4. 19. Exod. 1. 17. Jerem. 35. 14.* Adeoq; rectissimè apud Sophoclem in *Antigon.* vers. 450. interroganti Creonti

*Et ausa es has leges violare?*

Respondetur:

*Non enim Juppiter hæc mandaverat,  
Neq; socia inferorum deorum, vindicta,*

D

Qui

Qui has leges hominibus dederunt.  
 Neq; posse tantum putavi  
 Tua edicta, ut non scriptas, & certas Deorum  
 Leges possit mortalis violare.  
 Non enim nunc & heri, sed semper  
 Valent, & nullus scit unde edita sint.  
 Has ego non debui metu cujusquam  
 Violare, & apud Deos pœnas dare.  
 Sciebam enim me moriturum esse, quidni?  
 Etiam si id non proposuisses in edicto.

Lex igitur talis, utpote nutritiva peccati, non est obser-  
 vanda, imo pro nulla habenda. *Generaliter omni constitu-*  
*tioni atq; consuetudini derogandum est, quæ absq; mortali pec-*  
*cato non potest servari, inquit Pontifex in c. fin. X. de præscr.*  
*Adde caus. 33. q. 2. c. 6. cum Lex humana debeat imitari di-*  
*vinam, quemadmodum legislator ipse imaginem gerit*  
*Dei O. M. in cœlo, ejusque inspiratione omnia facere vi-*  
*deri vult. N. 73. Barbof. lib. 10 c. 10. n. 6.*

## XXIII.

**P**Ono etiam non injustam quidem, impiamque esse le-  
 gem, sed tamen parum sanæ rationi convenientem;  
 anne indignum foret homine Christiano, nugis ejusmodi  
 tam nobile & angustum consumere tempus? Anne ex utâ  
 humanitate in ordinem brutorum concederemus, si ra-  
 tionis usum abjiceremus, sequeremurque omnia cæco  
 impetu? Objici audio, turbas, omniumque rerum incerti-  
 tudinem oriri, si inquirere liceat in naturam legum. *l. 21.*  
*ff. de LL. aut disputare de eo, quod constitutum semel*  
*est. l. 4. C. de summa Trinit.* Itaque præstare vel malis legi-  
 bus



bus per quietem uti, quam novas ferre cum periculo rei-  
 publ. *Satius est*, inquit, Cleo apud Thucyd. 1. *malis legibus*  
*assuetam civitatem linquere in otio, quam bonis inconstanter*  
*uti.* Vid. Alex. ab Alex. genial. 6. c. 14. Verum nihil hisce  
 moveor, quo minus ratione, beneficio divinitus concesso,  
 utar, examinemque leges humanas ad normam recti ju-  
 dicii, verbiq; divini; cum fieri id possit, prout quoque de-  
 bet, citra reip. concussionem, periculosamque aliquam  
 mutationem, sed pie, placide, prudenter, & cum voto in-  
 serviendi patriæ & proximo. Sed quid multis? fecerunt  
 hoc viri excellentes à die restaurati juris Romani & adhuc  
 quotidie faciunt; adeoq; videmus tot leges senescere, nec  
 mitti in usum & observantiam, quod qui cuiquam aliæ rei,  
 quam earum irrationabilitati, ut sic dicam, adscribit, is pro-  
 fectò gravissimè errat. Verum deducere illa latius, tempo-  
 ris & otii ratio non permittit; itaque claudam rivos, quo-  
 niam prata, si non satis, attamen mediocriter bibisse vi-  
 dentur.



**T**Ritum sed verum est: dat Justinianus honores  
 Cultoremq; suum tollit ad astra Themis.  
 Inde tibi laudem quæris Doctissime CIS I,  
 Qui totus studio deditus huicce sacro  
 Sic pergas voveo, jurisque volumina sacri  
 Assidua volvas nocte dieque manu,  
 Tunc tibi, tunc patriæ, tunc proderis atque clienti  
 Et capies studio præmia digna tuo.

*Quod serio voveo pereximio atq; Nobilissimo Domino  
 Respondenti Amico & Convictori suo honoratissimo*

JOHANNES LUDOVICUS  
 CLEMENS, D.

coru

ni?

obser-  
stitu-  
li pec-  
prescr.  
ari di-  
n gerit  
ere vi-

esse le-  
ntem;  
smodi  
exutâ  
si ra-  
a cæco  
ncerti-  
n. l. 21.  
semel  
is legi-  
bus



*Nobilissimo atq; Doctissimo DN. CISIO.*

**N**on est, quod multis Tua jam conamina laudem,  
 Ut quæ res dignis comprobat ipsa modis  
 Gratulor hinc tantum. Numen Tua cœpta secundet  
 Ut Frisizæ magnum sis maneatque decus.

*Ita apprecatur*

ERNST HENRICH von *Hanffstengel*  
 Nob. Anhalt.

**E**ja age, mi CISI doctè conscende Cathedram,  
 Monstra *Sophistarum* pelle, repelle, nea.  
 Cur trepidas? Cathedram celebri sub *Preside* scandis,  
 Te præfato Virum, rem ratione gerens.  
 Gratulor ergò Tibi: quidni gratarer Amico,  
 Corde haud fucato, *dulcis Amice*, Tibi!

*Hisce Dn. Respondenti, Amico suavissimo  
 gratulabundus applaudit*

JOH. CONRADUS BEZA, Opp.

ORNATISSIMO AC DOCTISSIMO JUVENI  
 DN. JOHANNI CONRADO CISIO,  
 Commensali ac amico suo dilectissimo, de Lege  
 Irrationabili feliciter disputaturo.

**R**obur aquæ effusum, guttas sine fine cadentes.  
 Tecta fero hinc propulsarunt noctuque diuque  
 Hactenus obductus spissatis nubibus orbis  
 Tristis erat rerum facies ubicunq; locorum  
 Nunc redit ecce jubar solis, nunc sidera mundo  
 Efficiunt virides vultus & gaudia rebus.  
 Hactenus ingenii dotes mentemque capacem  
 CISIUS occuluit, sed nunc ad sidera vultus  
 Erigit, hoc unus præfens hic comprobat actus  
 Conscendas igitur Cathedram feliciter atque  
 Descendas felix, faciat rata vota Jehova.

*Invitâ Minervâ, animo tamen prompto pauca hæc apponebat*

J. J. STÖRMER, LL. Stud.

ET Tu conscendis, CISI cum laude cathedram.  
Gratulor, ipse Deus prosperet acta Tua.

*Exigua hæc Amico & Conterraneo suo suavissimo,  
cum voto perpetua felicitatis, grat. adjicere voluit*

J. H. DOLLMANN, Opp.



Ein Ruhm noch Ehre wird/durch Müßiggang erlanget  
Noch edle Sieges-Pracht/das man mit Lorbeer pränget  
Mit Ehre/ Ruhm und Preis/ im Siegs-gepränge geht/  
Das macht die Arbeit nur so niemals stille steht.

Diß hochgeschäzter Freund / diß hat ihn auch bewogen/  
Das Er vom Vaterland an diesen Ort gezogen/  
Allwo der Musen-zunfft in vollen Knospen blüh't/  
Diß macht/das man Ihn jetzt am Ehren-Orte sieht/  
Wo Ruhm/un Ehr/und Preis/durch wissen wird erlanget/  
Wo Rechts-berühmte Leut vor diesem auch gepränget:  
Er muß dann seyn beloh'nt/dieweit Er freudigst geht  
Nach jenen Ehren-berg/ woselbst Apollo steht.

Also hat eiligst seine schuldige Pflicht gegen den Herrn  
Antwortenden ablegen wollen

Ditrich Kannengiesser/B. S.



Ad Nobiliss. ac Præstantiss. DN. RESP.

*Sic volo, sed recta stet cum ratione voluntas;*

Hanc æquitas tenere suadet regulam.

Hanc sequitur princeps veræ virtutis amator,

Per hanc gubernat subditos feliciter.

Concidit injusti Lex hinc monstrosa Tyranni,

Cui sola sufficit voluntas impia.

Pluribus hæc nobis explanas, suavis Amice,

Et disputatione docta sustines.

D 3

Sicq;

Sicque tui sistis specimen præsigne laboris  
Quem sub Camænarum subisti ductibus.  
Gratulor & faustos successus apprecor hisce  
Conatibus, quos prosperet summus DEUS.

*Ita gratulabundus applaudebat*

B. Kramer / Anhaltinus.

Præstantissimo ac Doctissimo DN. RESPOND.

**M**Utuus optat amor pariter mea jungere vota  
Communi applausu plaudere sicque TIBI.  
Admiratur enim, quisquis succenderit igne  
Pectora tam rapido, SYMPATRIOTA, tua?  
Quis, quæso, ut rapiam tua sub præcordia Musas,  
Num patriùm pepulit corde rigente gelu?  
CISIUS, En? surgit, subsellia docta virorum  
Scandit, & aggreditur grande laboris onus.  
Res nova! Sed pergas doctrinam ostendere: quivis  
Frisius & plenus nomine CISII erit.

*Pauca hæc venâ parum felici Conterraneo suo accinebat*

A. ADDINGA, LL. Stud.

**I**Nvenit mens docta viam, patet omnis eunti  
Doctrina, & vastos explicat illa sinus.  
Ad te tota venit CISI, qui pulpita scandis,  
Atque paras studii mitia signa tui.  
Hoc incede gradu, virtus tibi tradet honores,  
Quosque negat cæcus jam favor, illa dabit.

*Hæc in honorem Domini Respondentis  
apponere voluit*

J. A. THEOPOLD, Lippia-Westphalus.

ORNATISSIMO ac PRÆSTANTISSIMO  
DN. JOHANNI CONRADO CISIO,  
Conterraneo ac amico suo suavissimo.

EXsorbent alii vino Spumantia vitra,  
Turpia queis Veneri sic alimenta parant.  
Ast tu, mi CISI, Musarum è fonte levare  
Usque sitim ( monstrat pagina docta ) soles.

*Sic affectum suum contestari voluit*

ANTONIUS de HESS, LL.Stud.

DOTibus ingenii queis te Natura beârit,  
Et quanto studio sinuosa volumina Juris  
Lustrâris, patet hinc quòd tu scandendo Cathedram,  
Tam felix nostræ Themidos jam fulgis in armis.  
Gratulor hinc, cœli Numen tua cœpta secundet,  
Sitque tibi, præsto, successibus augeat omnes  
Successus lætos, CISI tibi serviat Hybla,  
Invenies felix Pactoli divitis undam,  
I, sere, messis adest, Conrad, tibi, messis opima.

*Id quod Nobilissimo & Pereximio Dn. Respondenti,*

*Conterraneo & Amico suo longè suavissimo  
gratulabundus, ex animo vovet*

JOHANN. von HONAERT, Opp.

SCipio cùm patriis longè digressus ab oris,  
Ut validâ gereret bella cruenta manu,  
Torto sæpè fuit jactatus in æquore ventis,  
Concussus variis expositusque malis:  
Ast postquam rediit devictis victor ab Afris,  
Indidit huic titulos Africa victa novos  
Sic tu, quem Themidos studium per cærula ponti  
Pertulit ad terræ dissita mole loca,  
Ut quandoque sies concussus flamine venti,  
Pugnantis, victor, spernis amara tamen;  
Consultricis opum divæ dum mente peritâ,  
Compes discedes perjuga celsa domum,

Ex-

Exploresque prius vires de ponte cathedræ  
Celso convellens omne sophisma celer.  
Gratulor hinc meritò Patriæ Genitoribus atque  
Gratulor, & Tibimet cætera fausta precor.

*Hæc tenui Musâ debitum amorem Sympatriotæ suo suavissi-  
mo mox mox in patriam abituro testari conatur,*

J. SCHATTEBORG, LL. Stud.

**A** Scendis Cathedram, justissimus ultor eorum,  
Pectore qui stulto carpere jura solent:  
Gratulor ex animo de capto ritè labore,  
Et precor, ut dignum res ferat illa decus.  
Sic capies tandem meritissima præmia laudis,  
Quæ Themis & Pallas sunt paritura Tibi.

*Ità applaudere voluit*

OTTO CÖPER, B. S.

**F** Ortis, idè! Scendis Cathedram, Charissime CISI,  
Exponens studio perplexæ legis abyssum:  
Quo mentem pandis doctrinæ rore madentem.  
Gratulor huic animo Molimina perface tanta,  
Optato tandem vitæ quo fine fruaris.

*Hisce Nobilissimo Dn. Respondenti, Amico ac populari  
suo, honoratissimo animitus gratulatur*

R. SCHATTEBORG.



**T** E qui Doctorum noctesque diesque libellos  
Volvisti, semper præmia digna manent.

*Pauca hæc in honorem Nobilissimi Domini  
Respondentis apposuit.*


C. SCHACHT, W. Delmenhorstanus.

F I N I S.

X 261.5939

1017







13870  
11111

Dissertatio Juridica<sup>28.</sup>

DE

1682, 4.

LEGE

IRRATIONABILI,

QUAM

Sub

*Moderamine & Ductu*

DN. JOHANNIS

TESMARI,

ANTECESSORIS IN ALMA  
CATTORUM,

INSTITVET

JOHANNES CONRADVS  
CISIUS,

JEVERANO - FRISIUS.

*Ad diem Martii, H. L. Q.S.*

*Marburgi Cattorum,*

Typis JOH. JODOCI KÜRSNERI Acad. Typogr.

ANNO M DC LXXXII.

